



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Avrelii Avgvstini Hipponensis Episcopi Et S. R. E.
Doctoris Vita**

Lancilottus, Corneille

Antverpiæ, 1616

Cap. XXX. Ob caussarum quotidianos concursus sæpè opera cœpta
interrumpere cogitur, & nocte lucubrare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42857

258 DE VITA D. AVGVSTINI
mana) arumnosis ponderibus, & resorbeor
solicis, & multum fleo, sed multum teneor.
Tantum consuetudinis sarcina degranat. Hic
esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo: mi-
ser utrobique.

CAPVT XXX.

Ob caussarum quotidianos concursus saepe
opera cepta interrumpere cogitur, &
nocte lucubrare.

PROIN haud falsò queritur, quòd vel
inuitus hisce animi deliciis carere de-
buerit, & voto suo remissiùs agere quadam
coactus fuerit, ob forèsiùm caussarum quo-
tidianos tumultus, quibus vsinueniebat ei,
vt operibus omnino diuersis animum disti-
neret; ac vni quidem vacaret interdium, al-
teri verò noctu, quando ab aliis occupatio-
nibus vndique irruentibus ei parcebatur,
& tempus silente diei strepitu, consulendo
Numini fiebat opportunius: longè aliter
namque (vt hoc per transennam hìc ad-
uertamus) Deus & homines interpellan-
tur. Regem enim noctu consulere, vel eius
fores intempestiue pulsare audet nemo; at
Regis regù ianuam omni tempore, quam-
uis nocte intempestâ, ferire licitum & con-
sultum est: quin ipsa pulsatio quò vehe-
mentior, tanto fit gratior. *Hoc enim amat*

*S. Augusti-
ni velut
furtina ad
Deum pre-
ces.*

ianua

Ianua Salvatoris, ut pulsatoribus semper ab-
undet, opportunis, importunis. Propterea ipse
Dominus, videns ianuam suam à petitorum
voce, à pulsantium clamore silere, inuitat nos
ad orationem, omnibus paratus tribuere pie-
tatem. nec à suæ ianuâ pietatis repellit pul-
santes, sed culpât potiùs negligentes. Deinde
 demonstrans quantum discrepet Dei libe-
 ralitas, & hominum auaritia, qui mendicos
 ab ostiis recedere nolentes, exigunt: *hæc fa-*
stidia, inquit, & importunæ rogantium pre-
ces delectabilia illi sunt: ideò huiuscemodi
 pia fastidia Deo frequens ingerebat, tum
 maximè cum aliquod pium opus ei facien-
 dum incumberet. Porro nihil in eius actio-
 nibus præproperum aut festinatum, sed
 prudentiæ maturitate & precum in primis
 assiduitate velut decoctum erat. Atqui pre-
 ces continuæ, viro sancto fatigationis leua-
 men erant, & molestiarum cum suauissi-
 mo lacrymarum imbre refrigerium. Inge-
 minabat hæc crebrò nunc ad Deum, nunc
 ad Sanctos, quos non tamquam Deum, sed
 Dei amicos, cum Ecclesiâ venerari se de-
 monstrat.

Serm. 171.
De temp.

Opportunè
& impor-
tunè Deus
rogandus.